DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS BARNES,

Anglus,

CHIRURGUS;

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOCIUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. &C.

Aequum est, misero, et afflicto, ut ut factum est, opem et auxilium ferre.
Ex Demosthenis Orat. contra Midiam.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER,

1817.


LIBRARY

VIRIS ERUDITIS

ATQUE

CHIRURGIS INCLYTISSIMIS,

GEORGIO BELL,

SOCIETATIS REGIAE EDINENSIS SOCIO,

NOSOCOMII REGII EDINENSIS CHIRURGO, &c. &c.

ET

THOMAE BLIZARD,

SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS SOCIO,

NOSOCOMII LONDINENSIS CHIRURGO, &c. &c.

NON MINUS

OB PERITIAM REI MEDICAE INSIGNEM,

QUAM

OB MULTA ERGA SE BENEFICIA,

HOC TENTAMEN EXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

OFFERT DEDICATQUE

AUCTOR.

VIRIS EXIMIIS

ET

AMICIS SUIS SPECTATISSIMIS,

JOSUAE RIGG,

WIGTONENSI CUMBRIAE, CHIRURGO,

ET

THOMAE ROBINSON,

LONDINI CHIRURGO,

NON MINUS ARTIUM INGENUARUM QUAM SCIENTIARUM,

AC PRAECIPUE MEDICINAE PERITIS,

OB PLURIMA IN SE BENEFICIA COLLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO GRATISSIMO,

D. D. C. QUE

AUCTOR.

"Ut in causis non semper utimur eodem statu, sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accommodamus: sic in aegritudine lenienda. Nam quam quisque curationem recipere possit, videndum est."

M. T. Cicero.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

PROOEMIUM.

In primis arduum videtur, cujuslibet morbi historiam perscribere, etiamsi nobis ante oculos aeger versetur, et ab initio morbi eam condere incipiamus. Si enim signum infaustum superveniat, et mortem aegro intentet, non est hominis, "si modo homo est *," sinere ut hoc procedat, dum in ejus manu sit, quo id sistere possit. Remedium igitur aliquod adhibetur, et sic finitur historia; sin minus, non morbum

* Cicero.

solum, verum etiam effecta remedii nunc depingamus oportet. E contrario, si morbus cursum suum, aegro incolumi, (quod rarius est), absolverit, et historiam accurate et ad amussim scripserimus, tamen historia illa singularem tantum hominem spectat, unam aetatem, sexum, et temperamentum. Quin et ab tempore anni, coelo, consuetudine, vitae genere, idiosyncrasi, habituque corporis praecedente, morbus necesse est multum varietur. Quoniam hae omnes difficultates descriptioni morbi simplicissimi occurrunt, quanto difficilior ejus specierum et varietatum, et harum cum aliis morbis conjunctarum descriptio erit? Itaque morbi historiam scribere, et curandi methodum tradere, qui propter facies diversas quas sibi assumit, magnam in historia, curatione, et theoria sua discrepantiam peperit, non audaciter, sed multa, ut decet, cum diffidentia aggressus sum.

DEFINITIO.

Clariss. Doctor Cullen sic erysipelas definit: "Synocha duorum vel trium dierum, plerumque cum somnolentia, saepe cum delirio. "In aliqua cutis parte, saepius in facie, phlogosis erythema." Phlogosis erythema talibus verbis definitur: "Phlogosis colore rubicundo, "pressione evanescente; ambitu inaequali, serpente; tumore vix evidente, in cuticulae squamulas, in phlyctaenas vel vesiculas abeunte; "dolore urente *." Quamvis haec definitio non in aliquot partibus perfecta sit, ut morbi quae sequitur historia docebit; tamen est multo accuratissima omnium a nosologis propositarum, et omnes praebet usus, quos a definitione petere solemus.

* Synopsis Nosologiae Methodicae.

MORBI HISTORIA.

Hujus morbi symptomata inter ac phlegmonis magna intercedit similitudo, quae multis et medicis et chirurgis, speciem inflammationis erysipelas ducere suasit, symptomatum discrimine a sede tantum morbi pendente. Phlegmon enim sedem suam in tela cellulosa, erysipelas in cute, plerumque habet. At nonnulli tamen ea multum in signis etiam maxime propriis discrepare existimaverunt, rationem medendi diversam postulare, et terminationes dissimiles habere. Ea denique inter se ex toto dissidere, et erysipelas sui generis morbum esse, affirmant *.

Erysipelas in forma sua exquisitissima, symptomatis cum ex toto corpore, tum ex certa ejus parte se ostendentibus, constat : pyrexia scilicet, cum dolore, calore, rubore, tumore et vesi-

* Pearson's Principles of Surgery.
Dissertatio Inauguralis Doctoris Holden, 1817.

culis, aliquam corporis partem membranosam, saepissime vero cutis superficiem, occupantibus. At quando haec quidem praecipue, non autem pyrexia, morbum definiunt, et aliquando, quamvis raro, pyrexiam praecedunt, ea primum in animo versare oportet.

Secundo fere tertiove die febris, symptomata illa manifestantur. Incipiunt plerumque a macula exigua, et ad partes vicinas sensim serpunt. Dolor ante alia semper fere sentitur, mordax vel urens, et est ex iis symptomatis de quibus aeger primum queritur. Aliquando tinnitus est, vel pruritus molestus. Calor partis multum intenditur, acris factus, vel ardens. Color roseus, ad flavescentem vergens, compressione fugiens, et hac remota rediens. Pars plus minusve tumet, et faciem splendentem praebet. Hic tumor laevis est et mollis, sed non circumscriptus seu in apicem elevatus.

Haec symptomata ad quartum quintumve usque diem protinus crescunt. Tunc temporis vesiculae humore tenui et pellucido reple-

tae, in partis affectae superficie formantur. Quintum sextumve circiter diem hae vesiculae rumpuntur, humor exit, et haud raro partes proximas exulcerat. Hic humor est aliquando viscidus, cuti adhaeret, et ibi arescit. Nunc demum color e roseo flavidior evadit, et omnia symptomata remittuntur. Cuticula deinde crassescit; et octavo decimove circiter die, sub squamarum furfurosarum forma labitur. Pars, nullam aliam mutationem passa, ad sanitatem redit. Erysipelati autem nulla diuturnitas praefinita data est: itaque alias sua sponte, post duas vel tres dies, evanescit; alias duas vel etiam tres hebdomadas perdurat; et nonnunquam manet durities aliquot hebdomadas vel etiam menses.

Cursus erysipelatis multo celerius juvenibus, validis, temperamento sanguineo praeditis, ruricolisque, quam senibus, et iis qui oppida magna incolunt, absolvitur. Cum in telam cellulosam morbus se porrigat, suppuratio saepe fit, et pus in illius cellulas, aliquando copiosum lateque patens, effunditur.

Symptomata supra memorata febrium notae plerumque praecedunt, veluti, lassitudo spontanea, somnolentia, horror, anxietas, anorexia, nausea, lingua sicca crustaque alba saepe obducta, calor cutis auctus, sitis, pulsus durus et frequens, mentis perturbatio, cephalalgia; et aliquando coma et delirium, praesertim si faciem caputve morbus occupet. Typus hujus febris nonnunquam variat, quod plurima vi in morbi exitu pollet; illamque ob rem opus est prognosi medendique modo vario. Alias est febris ardens seu synocha, alias maligna seu typhus, plerumque autem febris ex ambobus composita, nomine synochus: ex quo quidem, ut mihi saltem videtur, diversae opiniones auctorum distractaeque sententiae, de charactere vero febris illius, quae hunc morbum comitatur, et partem ejusdem facit. Symptomata quae supra commemoravi sunt ea, quae erysipelas in forma sua perfectissima saepius fert; neque tamen quisquam sperare debet, se in quovis exemplo haec omnia inventurum esse, aut semper eadem quod ad vehementiam pertinet.

Necesse est aetas, temperamentum, corporis habitus, vitae genus, coelum, et locus in quo aeger vitam agat, ad haec symptomata varianda multum valeant. Neque vero quemquam credere oportet, qualis est pulsus status in juvenibus validis et vegetis, qui sunt corpore pleno atque firmo, talem in senibus exhaustis, debilibus et praelio imparibus, eum futurum esse.

In nosocomiis et aliis aedibus, ubi ablutio et ventilatio negligantur, aegri plerumque parum febris inflammatoriae habent; eamque statim debilitatis signa, et virium multum imminutarum sequuntur.

Quod ad coelum sub quo degimus pertinet, effectus ejus patet. Etiam in Magna Britannia hoc plurimum valere liquet. Hic morbus enim aliam faciem Edinburgi, aliam Londini fere praebet; et illustris Gregorius, in praelectionibus suis, nos certiores fecit, medendi

modum diversum in his oppidis postulari *. Edinburgi remedia antiphlogistica potentissima, veluti, sanguinis missio, et cathartica, saepe ad curationem ejus pernecessaria videntur: Londini autem, sanguinis missio rarissime aut nunquam prodest. Debilitatis indicia serius ocius accedunt, eaque saepe suppuratio et gangraena sequuntur; quibus omnibus, cinchona et vinum remedia optima usu comperta sunt. Ad haec comprobanda, silentio praeterire nequeo quaedam exempla erysipelatis, quae ipse in parte septentrionali Angliae vidi, in agricolis et hominibus robustis; quibus venae sectio et cathartica multum profuerunt, neque ullum aliud remedium necessarium fuit. Atqui olim in Nosocomio Londinensi discipulus plurima exempla vidi, neque uni quidem aegro vena incidebatur: cathartica mitissima, et medicamenta ex antimonio parata, quibus cinchona, et vinum vel cerevisia succedebant, remedia erant in quibus spes maxima ponebatur.

* Audi Praelectiones.

Erysipelas non illam simplicissimam et constantissimam formam exhibet, quam nos credere quidam scriptores voluerunt. Varia vitia organorum quae concoctioni inserviunt saepe observantur. Hinc, capitis dolor, nausea, sapor amarus, fastidium cibi, lingua flava vel albida ; et aliquando flavae vel viridis materiae biliosae vomitus, qua de causa, una forma hujus morbi a quibusdam medicis Erysipelas Biliosum vocatur.

Quales mutationes febri, tales etiam symptomatis externis, accedunt, et vice versa : cum gangraena adsit, indicia typhi fiunt. Somnolentia est saepe signum manifestissimum, et aliquando sub eruptionem discedit.

Cum huic morbo oedema conjungitur, ut saepe fit in hydropicis, et hominibus corpore debilitato, Erysipelas Oedematodes dicitur. Tunc, quamvis morbi accessus non sit gravis, tumor non nisi pedetentim veniat, et, hoc crescente, calor dolorque saepe imminuantur ; si tamen faciem invadat, vel infaustissimum existimandum

est: rigor, vomitus, coma, et delirium saepe superveniunt; et aeger, septimo vel octavo circiter die, haud raro morte occumbit. Ineunte morbo, vesiculae multae et parvae saepe formantur, quibus post duos vel tres dies crustae subnigrae succedunt. Quum morbus non lethalis sit, oedema fere diu restat, et aeger lente ad sanitatem redit.

Partes affectae nonnunquam colorem lividum induunt; phlyctaenae in earum superficie oriuntur; exulcerationes intercidunt, et gangraena sequitur; cutis, tela cellulosa, et haud raro fasciae et tendines sphacelo tenentur: hoc Erysipelas Gangraenosum vocatum est. Verumenimvero color lividus quandoque occurrit, gangraena nulla succedente.

Erysipelati cum gangraena infantes obnoxii sunt. Ab umbilico ac genitalibus saepe incipit, inde ad viscera abdominis extenditur, mortem haud raro allaturum.

Hic morbus aliquando multa cum rapiditate latam per superficiem fertur; et, quum cursu suo integram ejus partem aggreditur, parte jam tacta cedit, sanescente ea quae primum vitiata erat; neque ullum aliud sui vestigium, quam cuticulae desquamationem relinquit. Sic per totum fere corpus graditur, vix minimae quidem parti a capite ad calcem parcens. Haec igitur species Erysipelas Erraticum vel Ambulans appellatur.

Metastasis nonnunquam huic contigit; scilicet, ex alio ad alium brachium migrat, aut, alterum crus pedemve mittens, alterum arripit. Aliquando e partibus externis introrsum regreditur, nempe, ad cerebrum, pulmones, vel fauces. Haec vero organa saepe ab erysipelate, se in ea porrigente, afficiuntur.

Erysipelas cum phlegmone saepe conjunctum est. Cum febri maligna complicari potest; hinc, summa virium prostratio, pulsus debilis et parvus, spiritus foetidus, linguae, labiorum,

dentiumque sordes nigra, unaque cum his, et in putredinem et gangraenam magna proclivitas. Atque adeo in quibusdam locis et temporibus contagiosum fuisse dicitur.

Morbus hic quandoque periodice recurrit, post singulos menses, vel etiam annos reviviscens. Lorry se hominem novisse ait, aliunde sanum, qui bis in anno, versus aequinoctii tempora, erysipelate tentaretur. Auctor idem dicit se annuam erysipelatis formam, quotannis sub veris tempore emicantem, observavisse. "Sed "quod maxime annotatum velim," inquit, "qui "antequam ipsis appareret erysipelas periodicum, viri natu grandiores, erant et causarii "et ad omnia capessenda mala prompti, ab hoc "tempore firma valent senectute, vigentque et "animo et corpore *."

* Tractatus de Morbis Cutaneis.

DIAGNOSIS.

Ut dolor et tumor cum rubore et calore sunt indicia, quibus inflammatio cognoscitur, ita quibus erysipelas; haec enim omnia, sed nonnihil variata, huic sunt; et ab hac maxime variatione diagnosis erysipelatis a phlegmone pendebit. In phlegmone est sensus ponderis, dolor acutus et pulsans: in erysipelate, sensus ardoris, dolor minus vehemens, et urens. In hoc tumor et rubor sunt diffusi, sine certis limitibus: in illo circumscripti, tumore in apicem se attollente. In phlegmone color est coccineus; in erysipelate rubor subflavescens, digiti pressu evanescens, eoque remoto cito rediens: in illo autem compressionem non fugit. Phlegmon resolutione vel suppuratione vulgo terminatur, gangraena raro. Erysipelas nonnunquam in his omnibus, at raro vel nunquam in suppuratione salutari terminatur. Pus quod

formatur, neque cavitate circumscripta continetur, neque proprietates puris boni habet. Ejus forma fere minus spissa, et color minus albus ; et saepe eas partes, ad quas admoveatur, irritat. Erysipelas per desquamationem cuticulae vulgo exit, cujus pars prius in vesiculas, humore seroso plenas, elevatur.

Erythema ab erysipelate discrepat, ut ait Doctor WILLAN, quod cum exanthemate similitudinem habeat, et quod ei tumor, vesicatio, aut quaevis febris certum circuitum habens desint *. Sed multi erythema pro mitiore tantum erysipelate habent. Febri solum, secundum CULLENUM, differunt ; nimirum, in erysipelate febris est idiopathica ; in erythemate, cum febris adsit, tantum symptomatica †.

Indicia quaedam herpetis et erysipelatis satis similia sunt, sed tamen facile dignoscenda. Qua de re M. ALIBERT his verbis utitur :

* Vide Treatise on Cutaneous Diseases.
† Vide First Lines, § 274.

" Elles persistent beaucoup plus long temps
" què l'érysipèle dans les parties qu'elles oc-
" cupent. J'ai vu la crustacée, la vésiculeuse,
" l'érithémoide, se manifester pendant des an-
" nées entières. Lorsqu'elles s'éteignoient dans
" un endroit du corps, elles se réveilloient
" dans d'autres *." In suo cursu quoque maxime differunt: in herpete vesicatio fere prius fit, quam rubor et tumor; vesiculae sunt plurimae et perexiguae, in racemulos abnormes coactae, alium juxta alium positos, sed interstitia sana habentes. Gangraena raro aut nunquam in herpete occurrit, nec unquam contagiosus reperitur.

DE MORBI CAUSIS.

Causae praedisponentes.—Quicquid vim insitam aut sentientem corporis auget; quicquid ea organa quae concoctioni inserviunt laedit,

* Précis sur les Maladies de la Peau.

causa praedisponens esse potest. Qui semel eo laboraverint, impetui ejus exinde opportuniores, praesertim ii qui sint corporis habitu debilitato; his enim morbus etiam a morsibus hirudinum, aut vulneribus levissimis, renascetur. Quanquam nullus habitus, aut sexus, aut aetas hoc morbo immunis est, tamen juvenes, et homines temperamento cholerico-sanguineo ei obnoxiores sunt, et mulieres ante viros. Hae saepe sub tempus, quo menses cessare solent, aut, cum mensium suppressione laborant, et saepe dum sunt gravidae, hoc morbo afficiuntur.

Causae excitantes.--Vulnera tendinum et membranarum saepe causae occasionales sunt; unde liquet, quam attente et diligenter ad laesiones tendinis musculi occipito-frontalis, et pericranii sanandas nos incumbere oporteat. Evacuationes solitae suppressae; vehementes animi affectus, praesertim irae impetus, moeror et terror; victus insalubris, aut intemperans; spirituum destillatorum abusus; subita aëris frigidi et humidi impressio; caloris et frigoris coeli vi-

cissitudines; insolatio; acria vel venena corpori admota; vitia ventriculi et intestinorum, vel in eis biliosa et acris, aut alia irritans materies; ablutio et ventilatio omissae, cum multis aliis rebus, inter causas excitantes commemoratae sunt. Causae autem remotae hujus morbi saepe latent, aut detectu difficiles sunt. Nonnunquam adest sine ulla causa manifesta; et aliquando aut contagio communicatum, aut ab aliqua aëris conditione prorsus incognita propagatum esse videtur.

Causa proxima.—Perpauci sunt morbi, qui diversitatem opinionum majorem quam erysipelas, de causa sua proxima, concitaverint. Qua in re, ut in multis aliis similibus, homines summo ingenio praediti frustra adhuc versati sunt. Aliquid forsitan patefacere conati sumus, quod in aeternum nobis celabitur. Multi de hypothesibus vel theoriis suis speciosis gloriati sunt, et eas velut magni momenti venditaverunt; quae tamen in medicina adhuc parum profuerunt. Haec cum ita sint, oportet eum, qui ar-

tem medicinae colere velit, hanc in memoria sententiam praeclaram semper tenere: "Mor-"bos non eloquentia, sed remediis curari *."

QUAEDAM MUTATIONES, QUAS PARS AFFECTA SUBIT.

Erysipelas sedem suam in corporis superficie plerumque habet: nunc in reti mucoso, nunc in cute vera oritur: ab altero ad alterum, et inde ad telam cellulosam subjectam serpere potest. Partis structura pro vehementia morbi mutatur. Vasa sanguinem continentia sunt ampliora, et eo pleniora quam solet. Capillaria sanguine rubro replentur. Aliquid seri plerumque, et etiam crassamenti nonnunquam, effunditur; unde necesse est, ut tunicae quorundam vasorum laceratae, aut eorum oscula ampliata sint. Partis sensibilitas augetur et depravatur;

* Celsus de Re Medica, Praef. lib. i.

absorptio intermittitur, aut lentissime conficitur : calor partis intenditur, sed minus quam ex sensibus aegri judicaremus. Humor subter cuticulam vasis exhalantibus effluit, quo fit, ut illa in vesiculas attollatur. Hae vesiculae rumpuntur, humor emittitur, et cuticula per desquamationem, nova cuticula prius formata, sejungitur. Si morbus sit vehemens, suppuratio fit ; si vehementior adhuc, partis structura solvitur, et in gangraenam abit. Hoc praesertim fit in illis partibus, quae sensum hebetiorem habent, in hominibus corporis habitu debili, aut quos morbi priores infirmaverint, vel, denique, cum typus febris typhodes fit. In phlegmone *lympha coagulabilis* effunditur, quod, cum inflammatione adhaesiva sequente, cavitatem puri format, et hujus diffusioni obstat ; signum phlegmonem erysipelati probe dignoscens.

PROGNOSIS.

Erysipelas plerumque parum aut nihil periculi habet. Prognosis a vehementia morbi, a partis quam occupet dignitate, et a corporis habitu, maxime pendebit: eo infaustior, quo saevior accessus. Minus periculum affert, si crus aut brachium afficit, quam si faciem. Ubi hanc invadit, nonnunquam per caput et collum, summo cum periculo, brevi percurrit. Facies tumet, vultus deformatur, oculi clauduntur; et aliquando partes internae capitis afficiuntur, membranae, scilicet, quae encephalum cingunt, et etiam encephalum ipsum; non sine capitis dolore gravi, stupore, delirio, aut comate; quae sunt signa vel inauspicatissima. Aegro revalescente, abscessus in palpebris saepe fiunt, et facies per aliquot dies tumida perstat. Hic morbus senibus et debilitatis saepe lethalis est; nonnunquam suppuratio copiosa facta, pusque

in telam cellulosam diffusum, irritatione, aut viribus exhaustis, aegrum adimunt.

Cum febris typum typhodem sumit, discrimen haud leve est. Lamotte viri meminit erysipelate in parte media et interna femoris, febri putrida comitato, laborantis, qui tertio die mortuus est *. Translatio ad partes internas signum infaustissimum habendum est; hoc verum esse testatur haec sententia memoriae nostrae ab Hippocrate tradita: "Erysipelas foras quidem, introverti, malum, intus vero foras bonum ‡."

DE CURATIONE.

Ratio medendi varia pro morbi statu et stadio, et pro rerum varietate ei accidentium, est adhibenda. Aliquando remedia pauca postu-

* Vide Lamotte, Observ. Chirurg. cix.
† Hippocratis Aphorismi, Sect. vi. 25.

lantur: causis praedisponentibus et occasionalibus sublatis, morbus cursum suum sine ullo periculo brevi decurrit, solisque naturae viribus sanatur.

Ineunte morbo, priusquam vesicatio supervenerit, praesertim cum a causis externis, ut insolatione, et acribus parti admotis, nascitur, neque ulla febris vel febricula tantum comitatur, auxilia topica multum prosunt; nimirum, venientibus occurrunt vesiculis, et nonnunquam curationi per se sufficiunt. Huic rei idoneus est vini spiritus quatuor partibus aquae mistus, vel liquor ammoniae acetatis dilutus, linteolo vel lino ad plenum infusi, et sic ad partem adhibiti. Cum vesiculae adsunt, pulveres, vel pollina farracea, ex. gr. amylum, farina avenacea, tritici farina, vel pulvis carbonatis calcis, plurimum prosunt; absorbent scilicet humorem emissum, et ita eum prohibent partes vicinas corrodere.

Quod ad auxilia generalia pertinet, pro febris

typo, pro aegri viribus, et pro organo corporis affecto, variari debent. Si febris est ardens seu synocha, et aeger corpore valido, robusto et plethorico est, praecipue cum facies aut caput tentatur, ad sanguinis missionem, alvi purgationes, et regimen antiphlogisticum protinus confugiendum est; et his pro re nata utendum.

Si notae inflammationis urgeant, cum pulsu duro et frequente, cephalalgia vehemente, delirio aut comate, haec methodus religiose observanda est: eodem tempore tamen oportebit, loci, coeli, aliorum supra commemoratorum, rationem habere. Caput est alte ponendum, et dummodo non fatigetur, aliquot interdiu horas aegro liceat erecto sedere.

Sanguis, de hominibus corpore infirmo, aut viribus senectute fractis, de iis qui magna oppida incolunt, praecipueque de aegris in nosocomiis, caute et parce detrahendus est; nam in his febris typum typhodem sumere solet, suppuratione aut gangraena cito secutura. Ca-

thartica refrigerantia et diaphoretica lenia saepe satis deplent, et ita sanguinis missionem supervacaneam reddunt.

Si symptomata typhi, nempe debilitas, anxietas ingens, pulsus debilis, virium prostratio, et vertigo adsunt, ad remedia solita recurrendum est: qualia sunt, *cinchona*, vinum, illud genus cerevisiae quod *porter* vocatur, *camphora*, *carbonas ammoniae*, et *acida mineralia*. Multi summa laude *cinchonam* extulerunt, et eam maximi pendunt: quod ei quidem merito atque optimo jure contigit. Certe haec medela pollentia, tempore opportuno dum sit data, nulli cedit. Cavendum est tamen, ne praemature adhibeamus. Si adsit plethora aut diathesis phlogistica, ea prius est amovenda: calor cutis, pulsus plenitudo et frequentia sunt minuenda. *Ammonia*, in hoc morbo, cum extrinsecus tum interne adhibita, summis laudibus elata est; et vero ita feliciter agit, ut quidam pro remedio speciali eam habuerint *.

* Vide Practical Information on Erysipelas, &c. by E. Peart, M. D.

Si os amarum, fastidium cibi, nausea, lingua spurca, vel alba vel flava, aliaque signa adsint, quae vitia organorum concoctioni inservientium indicant, remedium *emeticum* dari debet; atque postea *cathartica* mitia, *diluentia*, et *diaphoretica* lenia. Medicamenta cathartica fere emeticis anteponenda sunt, quia periculi minus habent, et plerumque magis prosunt: facie aut capite laborante, emetica auxilia ambigua sunt, cathartica saepe optima; salina purgantia, veluti *magnesiae sulphas*, *sodae sulphas* aut *phosphas*, sunt praeponenda.

Chirurgus insignis ille Desault tum, cum erysipelas biliosum adest, cujus symptomata modo commemoravi, citato primum vomitu *tartritis antimonii* granis duobus vel tribus, ejusdem granum unum in aquae libro uno solutum, partitis vicibus sumendum, commendat *.

Quies et animo et corpori est semper concilianda; nec non munditiae et aëris puri ratio

* Oeuvres Chirurgicales.

est habenda. Pediluvium magno cum commodo saepe admoveatur. Cum signa inflammationis gravissima declinaverint, opium ad dolorem vel irritationem levandam, et ubi vigilia urget, ad somnum inducendum, multo cum fructu adhibeatur; sed tamen summa cum cautela, facie laborante, dari debet.

Cum suppuratio facta fuerit, quod aliquando haud facile est detectu, praecipue si profunde sita est, veluti subter fasciam femoris; incisura in loco opportuno mature facienda est, et pus exprimendum. Deinde cataplasma emolliens parti superimponi debet; et quamdiu indicia inflammationis haud imminuta perstant, aut tela cellulosa et fascia, gangraena affectae, (hoc enim vel minus, vel plus, in plurimis evenit), non sejunguntur, tamdiu, pro re nata, repetendum est. Tunc super vulnus imponatur linteum unguento simplici vel resinoso illitum, super hoc penicillum, et postea partes vinculo idoneo, secundum artem, circumdentur. Ne pus retineatur praecipue cavendum est. In hoc,

aeque ac in erysipelate gangraenoso, *cinchona*, vinum, *camphora*, *opium*, aut *acida mineralia* usurpanda sunt.

Inter varia medicamenta topica, solutiones frigidae plumbi acetatis, aether, et glacies in pulverem contrita, a quibusdam laudantur; haec autem, praecipue cum facies tentatur, caute adhibenda sunt, aliquando enim malis eventis comitata sunt.

In erysipelate, praesertim si caput infestetur, vesicatoria, inter scapulas applicata, commodum haud parvum nonnunquam ediderunt. Parti ipsi laboranti aliquando sunt admota: quam quidem methodum G. Dupuytran nosocomii Lutetiae Parisiorum, L'Hotel Dieu dicti, chirurgus primarius, interdum capit. Caeterum ea dicit, vesicatoria parti admota prodesse se saepe vidisse, nocere nunquam: insigniter utilia esse in erysipelate ambulante: et, quandocunque gangraena fieret, hanc non illi parti cui vesicatorium impositum esset, sed partibus

vicinis, accidisse *. Haec autem ratio vix aut ne vix quidem ab aliis chirurgis aut medicis Gallicis adhibetur. Pinguia, fotus, et cataplasmata plerique proscribunt: sed tamen Joannes Pearson cataplasmata omnibus aliis topicis anteponit †; et Doctor Willan partem affectam fovere aut lavare identidem lacte, furfure et aqua, &c. suadet ‡. Cucurbitulae cum ferro, hirudines, et etiam scarificationes, a quibusdam summis laudibus elatae, ab aliis acerbissime damnatae sunt. Auxilia autem topica in erysipelate parum (nonnulli aiunt nihil) prosunt: generalibus potissimum confidendum est.

* Audi Praelectiones ejus Clinicas. † Principles of Surgery.
‡ Treatise on Cutaneous Diseases.

FINIS.